

Cic. Laelius 44-47 (mit Kürzungen)

Haec igitur prima lex amicitiae sanciat, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus, ne exspectemus quidem, dum rogemur; studium semper adsit, cunctatio absit; consilium vero dare audeamus libere. Plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas, eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit.

Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam.

fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus; alienis nimis implicari molestum esse; caput enim esse ad beate vivendum securitatem, qua frui non possit animus, si tamquam parturiant unus pro pluribus.

Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius praesidii adiumentique causa, non benivolentiae neque caritatis amicitias esse expetendas; itaque, ut quisque minimum firmitatis haberet minimumque virium, ita amicitias adpetere maxime; ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant quam viri et inopes quam opulenti et calamitosi quam ii, qui putentur beati.

O praeclaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt, qua nihil a dis immortalibus melius habemus, nihil iucundius. Quae est enim ista securitas?

Specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda.

Neque enim est consentaneum ullam honestam rem actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere aut susceptam deponere.